



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Pastorum Continens Doctrinas, & Industrias ad Pastorale
Munus piè, fructuosè, ac securè obeundum pertinentes,
Unà cum Casibus frequentius circa idem Officium
occurrere solitis, & ex communiote ...**

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1678

Membrum II. De studiosa operatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49267](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49267)

MEMBRUM II.

De studiosa Operatione.

Qu. 1. Quid requiratur ad studiosam operationem? R.

Primò requiri, ut magna cum promptitudine & alacritate opus aliquod suscipiatur, juxta monitum S. Pauli 2. Cor. 9. *Vnusquisque prout destinavit in corde suo, non ex tristitia, aut necessitate; hilarem enim datorem diligit DEVS.* Secundò, ut, quæ ad integritatem actionis requiruntur, partes & circumstantiæ diligenter impleantur, ut suo modo dicere cum Christo possit Pastor: *Consummatum est;* & hoc est, quod Ecclesiasticus Eccles. c. 33. monuit. dicens: *In omnibus operibus tuis præcellens esto.* Tertiò, ut alacritati & diligentiae etiam constantia jungatur; nam, ut bene advertit S. Gregorius, *incaustum bonum agitur, si ante vita terminum deseratur, quia frustra velociter currit, qui, priusquam ad metam venerit, desicit.*

Qu. 2. Quæ media ad dictam diligentiam procurandam adhibere debeat Pastor? R. sequentia potissimum. Primò, ut gaudium, quod ante mortem (nam si gaudium est in hoc mundo, ait rectè Thomas Kemp. l. 2. de imit. hoc utique possidet puri cordis homo, qui nullius in operibus suis erroris admitti sibi conscius est) in morte (nam ut idem l. 1. c. 25. ait, *gaudebis semper vespere mortis tuæ, si diem vitæ insumpseris fructuosè*) & post mortem (nam audiet lætissimam illam Christi vocem, Matth. 25. *Euge serve bone, & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui*) ex tali diligentia sperare poterit, bene pendat; hinc enim miram animo suo alacritatem ingenerari, atque ad constantiam eundem excitari sentiet, id quod S. Paulus expertus est; hinc suos Corinthios 1. Cor. 15. sequentibus verbis excitavit & animavit: *Fratres mei dilecti, stabiles estote & immobiles, abundantes in omni opere Domini semper, scientes, quòd labor vester non est inanis coram Domino.* Secundò, ut bonam sibi Ideam procuret, atque ad illam in omnibus suis actionibus oculos convertat; talis autem præ reliquis cenferi debet vita & exemplū Christi, qui, uti fuit Pastor bonus, ita meritò ab eo illud ad Apostolos Joan. 13. c. dictum sibi nunc repeti imaginetur Pastor animarum: *Exemplum dedi vobis, ut, quemadmodum Ego feci, ita & vos faciat;*

is; sicut ergo Artifices etiam minus periti, si ideam seu formam perfectam sunt nacti, atque in eam materiam licet imperfectam infuderint, haud dubiè perfectam quoque imaginem producent; ita meritò sperari etiam potest, Pastorem perfectissimum opera producturum, si ea perfectissimis Christianis operibus velut exemplari conformare studuerit. Tertio, ut frequenter super actiones suas reflectat, & quae emendatione videbuntur, accuratè corrigere studeat; neque enim emendari satis potest, quantas vires habeat hæc reflexio ad perfectionem actionum humanarum procurandam.

MEMBRUM III.

De Generosa Resignatione.

Qu. 1. In quo consistat hæc Resignatio? R. in sequentibus. Primo, ut non statim Pastor abiciat animum, si non, ut vellet, videat proficere suos Parochianos; nam, ut Lapideus nonnemo dixit: *Sæpe ea, qua sanari ratione non poterunt, tempore sunt sanata; non videtis, inquit S. Chrysostomus hom. 41. in Gen. quantà DEVS non longanimitate tolerat, quomodo quotidie negligimus obtemperare eius mandatis, quæ sic cesset à cura nostra? Simili ergo modo nos erga Deum nostros bene affecti, magnam faciamus diligentiam. Secundo, ut non tristetur, si fortè labores suos omni fructu defraudat; sed potiùs saluberrimam S. Bernardi l. 4. de Consideratione lib. admonitionem in memoriam revocet: *Noli de fructu curam exigere, non curationem. Audisti: curam illum non curat, & non cura, vel sana illum. Verè dixit quidam: non est in me dico semper, relevetur ut ager: ita & quæso fac tu, quod in me est: nam DEVS, quod suum est, satis absque tua sollicitudine anxietate curabit: planta, riga, fer curam, & tuas erigat partes; sanè incrementum, ubi volueris, dabit DEVS; ubi non voluerit, tibi desperit nihil, dicente Scriptura, reddet DEVS cedem laborum Sanctorum suorum. Imitetur ergo Angelus magna tranquillitate dicentes, Jerem. 51. *Curavimus Babylonem, & non est sanata, derelinquamus eam, & unusquisque in terram nostram.* Tertio, ut, cum Deo piofam laboribus illius benedictionem, fructumque conferit, non tam ob ipsum hunc fructum, quam ob imperatissimam DEI voluntatem lætetur, illudque Dantes**